

alicui remittitur peccatum mortale, et relinquitur pœna temporalis solvenda in purgatorio, si antequam illam satisfaciatur, incidat in aliquod peccatum mortale, et statim moriatur, ille debet solvere priorem pœnam temporalem peccati remissi: non in purgatorio, quia ipse est damnatus ad infernum, et in purgatorio non sunt nisi justi: ergo debet illam solvere in inferno; ibi autem nulla est pœna temporalis, quia nulla est redemptio, alias reciperet ille damnatus aliquam alleviationem, si aliquid de pœna quam incipit pati finiretur temporaliter, possetque illa pœna temporalis per suffragia Ecclesiæ et sacrificia tolli, cum tamen suffragia non prosint damnatis: ergo illa pœna durabit in perpetuum.

XII. Ad hoc argumentum aliqui concedunt illam pœnam temporalem illo casu reddi æternam per accidens, sine hoc quod redeat culpa, quia ille homo per peccatum sequens, et mortem constituit se incapacem satisfactionis temporalis pro aliqua pœna, et sic impossibile est illam pœnam finire, non ex eo quod Deus imputet culpam jam remissam, sed ex illo statu, quem accipit homo per damnationem æternam: cæterum quia hoc videtur valde durum, ut pro culpa jam remissa sine novo reatu accipiat quis pœnam æternam, cum solum debeat temporalem, quod est contra justitiam.

XIII. Melius respondetur cum S. Thoma in IV, dist. XXII, quæst. I, art. I ad quintum, ubi relata hæc priori solutione, et rejecta, subdit: « Et ideo alii dicunt, quod pœna cujus aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno punitur temporaliter: nec propter hoc sequitur, quod in inferno sit redemptio, quia pœna quæ solvitur, non redimitur: neque est inconveniens,

quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augeatur (ex consortio scilicet damnatorum) neque in eis prosunt suffragia Ecclesiæ, etiam pro illa pœna temporali, quia cum sint extra gremium Ecclesiæ, non communicant ejus meritis et suffragiis. »

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIV. Ad rationes dubitandi a principio respondetur: et ad primam dicitur, quod in illo loco Ezechielis dicitur Deus non recordari iniquitatum pœnitentis, neque meritorum peccatoris, quantum ad hoc quod utrumque deletur et tollitur, seu impeditur per pœnitentiam et per peccatum: modus autem specialis quo peccata tolluntur per pœnitentiam, ita ut etiam si quis de novo peccet, non puniatur pro illis, et modus quo merita mortificantur, ita quod remoto peccato iterum reviviscant, non exprimitur in illo loco, sed in aliis a nobis allegatis: neque enim oportet quod in eodem loco Scripturæ omnia exprimantur, sed debent diversa loca comparari inter se.

XV. Ad id quod adducitur ex Psalmo respondetur, quod iniquitates parentum dicuntur redire in memoriam pro filiis, non quantum ad culpam, sed quantum ad aliquam pœnam temporalem, qua solet Deus castigare peccata parentum: et de hac pœna loquitur propheta, cum dicit: *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus*, id est, pœna iniquitatis: et de eadem intelligitur illud: *Ne memineras iniquitatum nostrarum antiquarum*, id est, pœnæ pro iniquitatibus antiquis, sive propriis, sive parentum. Et simili modo possunt accipi illa verba viduæ ad Elisæum, quod lo-

quebatur de memoria iniquitatum quantum ad pœnam temporalem, qua Deus castigabat illam in morte filii, vel fortasse illa mulier habebat peccata non remissa, et loquebatur de illis.

XVI. In parabola vero Matthæi XVIII, de illo a quo exigitur totum debitum propter peccatum sequens respondetur, quod exigitur totum debitum peccati jam remissi, non quia formaliter redeat, sed virtualiter, id est, non ratione peccatorum remissorum, sed ingratitude adjunctæ, quando de novo peccat, per quam vel adæquat gravitatem peccatorum præteritorum, vel permittitur cadere in peccata æque gravia: et sic totum debitum exigitur in gravitate, non in formalitate et existentia peccati remissi.

XVII. Ad rationem respondetur, quod etsi conversio pœnitentiæ æque sit efficax ad tollenda peccata, sicut conversio peccati ad tollendam gratiam, peccata semel extincta, et remissa neque manent in subjecto, neque in acceptatione divina, ut rursus imputentur: gratia autem et merita, licet per peccatum interrumpantur in subjecto, remanent tamen in acceptatione divina: et ita datur locus ut remoto peccato iterum reviviscant. Et licet Deus possit oppositum facere, nec illam gratiam restituere, quia peccator etiam hac misericordia est indignus, tamen magnum habet fundamentum in ipsis naturis rerum, ut Deus illam gratiam restituat; tum, quia pronior est ad miserendum, quam ad puniendum; tum, quia ipsa bona opera ex eo quod semel Deo placuerunt, nunquam Deo displicent, nec Deus illa abjicit a sua acceptatione, licet peccatorem abjiciat quando est in peccato; unde illo remoto per pœnitentiam, maxime congruit naturæ talis meriti, ut Deus iterum præmiet

et vivificet illud: at vero peccatum semel remissum ita deletur per gratiam, quod neque in se manet in subjecto, neque in acceptatione Dei, quia nunquam illi placuit; neque in acceptatione justitiæ divinæ ad illud puniendum, quia divina justitia non potest punire, nisi illud quod non est satisfactum, et supponendo reatum pœnæ in subjecto; iste autem reatus non redit, quia non redit voluntaria conversio illius peccati, ratione cujus aversio et macula et reatus voluntaria sunt, et alias est satisfacta illa injuria; ergo non possunt illa peccata sic remissa et satisfacta manere in acceptatione justitiæ. Ad confirmationem respondebitur articulo sequenti.

ARTICULUS II.

Utrum per quamlibet pœnitentiam reviviscant merita quoad omnem quantitatem et gradum suum?

I. Licet certum sit merita mortificata reviviscere per pœnitentiam, ut diximus articulo præcedenti, tamen de modo, quo ista merita reviviscunt, longa et difficilis quæstio est inter theologos, quam non possum hic operosius disputare, sed studebimus totam difficultatem ad breviter reducere.

II. Punctus ergo difficultatis reducitur ad illud tertium argumentum, quod ponit S. Thomas art. V, quæst. LXXXIX ubi inquit: « Quod opera in charitate facta merentur gloriam secundum quantitatem gratiæ et charitatis, sed quandoque resurgit homo in minorem gratiam et charitatem: ergo non consequitur gloriam secundum meritum priorum operum, et sic non reviviscit totum illud meritum mortificatum. » Major a nullo negatur, quia

merita totum suum valorem habent a gratia: ergo secundum quantitatem gratiæ et charitatis majoris vel minoris meriti sunt, et major vel minor gloria eis correspondet. Minorem vero concedite ipsi S. Thomæ cum in articulo secundo, tum in articulo quinto, solutione ad tertium: ergo tando in hac doctrina S. Thomæ, non semper reviviscunt merita quoad totam suam quantitatem et gradum, sed plura manent evacuata. Dicere autem quod solum reviviscunt ad præmium accidentale, (ut insinuat S. Thomas dicta solutione ad tertium) est idem, quod evacuare illa merita quoad substantiam suam, quia substantiale præmium est gloria essentialis: ergo si ad illam non reviviscunt, substantialiter evacuantur.

III. Propter hanc difficultatem multi recedunt a sententia S. Thomæ: alii in ea explicanda laborant. Qui recedunt, dicunt per quamcumque pœnitentiam totam gratiam antiquam et merita, quoad præmium essenziale restitui, etiam si pœnitentia præsens sit valde remissa. Et fundantur præcipue in tribus. Primo, in ratione facta, quia alias illa merita pro ea parte qua non reviviscunt ad præmium essenziale, simpliciter et substantialiter evacuarentur, et non redirent, quod est contra Scripturam: secundo, quia intelligunt contritionem, qua aliquis de præsentis resurgit, non esse dispositionem secundum quam mensuratur gratia illa restituenda, sed solum est remotio obicis et impedimenti, quo subjectum impediatur consequi fructum illorum meritorum, quæ manebant in acceptatione Dei; sed impedimentum tollitur per pœnitentiam, quia totaliter remittitur peccatum: ergo sublato hoc impedimento omnia illa merita, et gratia restituuntur.

IV. Et tertio fundatur hæc sententia in doctrina magis generali, quia existimat augmentum gratiæ et charitatis non mensurari penes augmentum et intensionem physicam nostrorum operum, sed penes moralem, id est, penes meritum, ita quod si opera remissa charitatis merentur augmentum illius, statim datur ratione meriti, non expectata dispositione aliqua physica intensiori, quia posito merito de condigno, nihil est quod retardet ejus præmium: nec aliquid deest operibus factis in gratia, quominus vita æterna suo tempore reddatur, ut determinat Tridentinum sess. vi, cap. xvi: ergo cum omnia illa merita antiqua vere fuerint merita in tanta quantitate, et manserint in acceptatione divina, consequenter sublato peccato, a nulla physica dispositione magis, vel minus intensa dependent, ut sibi detur tota illa gloria suo tempore, et gratia de præsentis. Hanc sententiam sequuntur plures ex antiquis, ut Gabriel, Ocham, Marsilius, Richardus, Durandus: et ex recentioribus latissime Suarez in opusculis, relectione de reviviscencia meritorum, Vasquez, Torres, Granados et alii.

V. Sententia autem S. Thomæ e contrario supponit pro fundamento certo, quod quantitas seu augmentum gratiæ et charitatis non infunditur actu et de facto, nisi existente dispositione proportionata illi augmento, non solum per modum meriti, sed etiam per modum physice dispositionis proportionantis subjectum ad illam formam; quæ dispositio si desit, non dabitur de facto illud augmentum, sed suo tempore, scilicet, quando proruperit in actum ferventiorum, ut docet 1-2, quæst. cxiv, art. viii ad tertium, et in secunda secundæ, quæst. xxiv, art. vi ad primum. Quod fundamentum esse certum ostendimus in materia de

charitate, disput. xv, art. ii, et apertissime traditur a S. Thomæ multis in locis, præsertim in i, dist. xvii, quæst. ii, art. iii, in corpore, et in ii, dist. xxvii, quæst. i, art. v ad secundum, et aliis locis, quæ ibi citantur: et communiter acceptatur a Thomistis, et a multis aliis auctoribus: estque conveniens naturæ rerum, quia semper formæ recipiuntur in subjecto juxta dispositionem et proportionem illius. Est etiam conformis definitioni Concilii Tridentini sess. vi, cap. vii, dicentis: « Quod unusquisque recipit justitiam secundum suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujuscumque dispositionem. » Et non loquitur ibi de dispositione morali, seu meritoria, quia loquitur de prima meritoria gratiæ, quæ non cadit sub meritoria dispositione præcedentium: ergo illa dispositio habet se ut physice proportionans subjectum ad gratiam, non physice illam efficiendo, sed subjectum præparando. Si autem in prima infusione gratiæ quantitas gratiæ, quæ infunditur mensuratur penes dispositionem, eadem ratione cum postea augetur, mensurabitur illud augmentum per dispositionem subjecti, quia non est major ratio de uno quam de alio.

VI. Hac ergo doctrina stante, quam ibi late confirmavimus, oportet S. Thomæ consequenter loqui in reviviscencia meritorum, quod quando per pœnitentiam reviviscunt, et tamen subjectum non disponitur, nisi remisse, et non conformitur ad totum augmentum gratiæ, quod antea existerat, non potest tunc de facto dari et infundi tantum augmentum gratiæ, quantum fuit antea, ex defectu dispositionis proportionatæ. Et prorsus eodem modo loquendum est tunc de his meritis mortificatis, et per contritionem remissam reviviscuntibus, sicut de actibus remis-

sis charitatis, qui merentur quidem augmentum gratiæ, et sunt merita, et non mortificata: et tamen juxta S. Thomam non statim datur illis tale augmentum, sed suo tempore, scilicet, quando homo prorumpit in actum ferventiorum, ut constat ex locis citatis. Eodem modo merita mortificata et per dispositionem remissam reviviscunt, non statim accipiunt totam quantitatem gratiæ, quæ antea erat in subjecto, sed juxta dispositionem quam habuerit. Cæterum, quia semper est difficile denotare illud inconueniens, quod aliqua merita maneant evacuata suo præmio essentiali, sive sint remisse facta, sive remisse iterum vivificata, ideo interpretes S. Thomæ divisi sunt ad hoc explicandum.

VII. Alii semper, et in toto rigore dicunt, merita remissa solum valere juxta suam quantitatem, non vero augere gratiam, respectu cujus remisse se habent, sed solum valere ad præmium accidentale, non vero ad aliquod augmentum essenziale: quæ est sententia Bagnez 2-2, quæst. xxiv, art. vi: alii dicunt, contritionem qua aliquis resurgit, esse dispositionem ad duplicem gratiam, scilicet, ad eam quæ de novo datur in vi præsentis dispositionis, juxta quantitatem illius (scilicet contritionis) et ad restituendam antiquam in eadem intensione et quantitate, ita quod si aliquis resurgat per contritionem ut octo, recipit gratiam ut xvi, octo de novo, juxta præsentem dispositionem, et octo de gratia antiqua et restituta. Ita tenet Nugno in hac quæstione lxxxix, articulo v, in secunda difficultate, et multi id sequuntur. Alii dicunt, tam merita remisse facta, quam remisse vivificata de præsentis solum augere gratiam moraliter, id est, in ratione meriti et juris ad habendam aliam majorem gratiam suo tempore: phy-

sice autem et entitative solum recipere illud augmentum gratiæ, quando prorumpit in actum ferventiorum, quia tamen potest contingere quod homo in hac vita non eliciat talem actum ferventiorum; vel si eliciat, illi actui correspondebit augmentum gratiæ juxta suam latitudinem tantum: unde actus remissus qui antecessit, semper manet frustratus parte sibi debita: ideo dicunt, quod tales actus remissi, vel merita remisse vivificata, accipient suum augmentum essentielle ratione actus ferventioris, qui elicitur ab anima separata a corpore, quia talis actus jam non est meritorius, quia est extra viam: est tamen dispositio pro meritis factis in via, ut recipiant physice augmentum gratiæ et gloriæ: quam solutionem docent plures Thomistæ, Nugno, Alvarez, Montanos, et alii, quos citavimus in materia de charitate, disput. xxv, articulo tertio.

VIII. In hoc puncto probabilior resolutio secundum mentem S. Thomæ mihi videtur componenda ex hic duabus ultimis solutionibus. Dico ergo, quod pœnitentia, seu contritio habet duplicem causalitatem, et rationem mensurandi, seu disponendi subjectum ad gratiam: unam respectu gratiæ de novo dandæ juxta illam, et ad hanc comparatur tamquam dispositio propria et per se ad illam formam: aliam respectu gratiæ antiquæ restituendæ et vivificandæ, et respectu hujus se habet contritio, ut causa removens prohibens, quæ tamen non semper removet totum impedimentum adæquate, sed aliquando plus, aliquando minus. Licet enim impedimentum quoad ipsam substantiam gratiæ sit peccatum, quod totaliter deletur et tollitur, tamen quantum ad augmentum et quantitatem gratiæ, non solum peccatum est impedimentum, sed etiam defectus dispositionis,

quia non est proportionata augmento gratiæ, cum sit remissa: quare juxta quantitatem dispositionis contritionis, in qua homo resurgit, datur augmentum gratiæ præsentis, quod per se correspondet illi dispositioni de novo: et iterum datur tantum de gratia antiqua, quod correspondet illi contritioni, ut causa per accidens, sicut dictum est in secunda solutione: si autem præter istam gratiam restitutam adhuc remaneat alia, quæ tali dispositioni remissæ non potuit correspondere, redibit illa quantum ad præmium essenziale, quando habebit homo ferventiorum dispositionem, saltem in exitu hujus vitæ, sicut de actibus remissis docet ultima solutio.

IX. Quod hæc sit mens S. Thomæ probatur, quia in primis infundi gratiam de novo juxta quantitatem dispositionis aperte docet in hac quæstione LXXXIX, articulo II, ubi inquit: « Quod secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens consequitur majorem, vel minorem gratiam. » Et constat etiam ex Tridentino dicente: « Quod consequitur unusquisque gratiam juxta propriam dispositionem. » Contritio autem in pœnitentia est propria dispositio. Quod vero eadem pœnitentia respectu gratiæ antiquæ restituendæ se habet ut causa per accidens, et removens prohibens, manifeste docetur a S. Thoma in IV, dist. XIV, quæst. II, art. II, ubi inquit: « Quod sicut ventus auferens nubem, nobis solem restituit; ita pœnitentiæ tamquam removens prohibens, gratiam gratum facientem, et omnes virtutes nobis restituit. » Et idem in solutione ad primum et secundum ipso exemplo solis indicat hanc causam removens prohibens, non unico et indivisibili modo removere, sed aliquando plus, aliquando minus sicut: ventus aliquando plus,

aliquando minus removet nubes, et sic plus vel minus solis restituit: et sicut aperiens ostium potest plus vel minus aperire, et sic plura vel pauciora admittere. Quare si ista duo loca jungamus, aperte colligitur, quod in sententia S. Thomæ, pœnitentia habet duplici modo disponere ad duplicem gratiam, scilicet, ad restituendam antiquam ut causa per accidens et removens prohibens, et ad introducendam novam tamquam dispositio per se: ergo non repugnat eidem dispositioni diversos gradus correspondere, quia non est dispositio effectiva gratiæ, sed pure dispositiva; Deus autem, qui est gratiæ collator, super illum gradum gratiæ quem dat de novo, juxta illam dispositionem, infundit alios gradus ex antiqua gratia, juxta dispositionem removens prohibens.

X. Quod vero existente remissa contritione, in qua homo resurgit, non restituatur tota gratia antiqua, si sit magna, sed solum de facto restituatur juxta quantitatem contritionis, constat in doctrina S. Thomæ; tum, ex generali ratione, qua docet per actus remissos non dari statim augmentum gratiæ, licet mereantur illud, nisi quando quis prorumpit in actum ferventiorum, ut patet 1-2, quæst. cxiv, art. VIII ad tertium, et 2-2, quæst. xxiv, art. VI ad primum; tum specialiter loquendo de reviviscencia meritorum in hac quæstione LXXXIX, art. V ad tertium et charissime in III dist. xxxi, quæst. I, art. IV, quæst. III ad quartum. Et hoc totum est propter fundamentum supra positum, quia gratia non recipitur physice in subjecto, nisi juxta proportionem dispositionis, qua quis disponitur ad gratiam, et non solum propter rationem meriti; unde non existente hac dispositione, non recipitur secundum augmentum de facto et in actu in subjecto.

XI. Sed quia potest contingere,

quod aliquis in tota vita non eliciat illum actum ferventiorum, vel statim moriatur, numquid illa gratia non restituta perpetuo peribit, aut illa merita remissa carebunt perpetuo suo præmio? In hoc casu nihil expresse docet S. Thomas, sed solum ponit generalem doctrinam, quod illud augmentum dabitur suo tempore, id est, quando prorumpet in actum ferventiorum: et quod illa merita præterita remisse vivificata valebunt ad gloriam accidentalem, quæ mensuratur actibus magis, quam habitu charitatis, ut docet S. Thomas loco citato ex tertio sententiarum. Cum ergo pro isto casu nihil expresserit S. Thomas, discurrendum est in illo juxta principia huc usque ab ipso tradita, vel alibi data.

XII. Dicimus ergo, valde congruere pietati divinæ, quod pro istis meritis remissis, vel remisse vivificatis accipiat homo in alia vita actum ita ferventiorum, quantum exigitur ut illa merita suum sortiantur effectum in augmento gratiæ: et ad hoc adducimus in materia de charitate citata insignem locum S. Thomæ in additionibus quæstione xciii, articulo III, ubi inquirens quomodo mansiones in cælo distinguantur penes diversos gradus charitatis, inquit: « Quod principium distinctivum mansionum sive graduum charitatis est duplex, scilicet propinquum et remotum: propinquum est diversa dispositio quæ est in beatis, ex qua contingit diversitas perfectionis apud eos in operatione beatitudinis: sed principium remotum est meritum, quo per tale præmium consecuti sunt talem beatitudinem: primo autem modo distinguuntur mansiones secundum charitatem patriæ, quæ quanto in aliquo fuerit perfectior, tanto reddit capaciorum divinæ charitatis, secundum cujus augmentum augebitur perfectio visionis divinæ: secundo vero modo